

# The Electronic Manipulus florum

## www.manipulusflorum.com

### Sacerdos ap cum fonte primo

Sacerdotes

si consolentur afflitos, si pascant egenos,  
si uestiant nudos, si redimant captiuos,  
si suscipiant peregrinos, si

desperatis spem uenie consequende  
promittant,

et quicquid ad officium suum pertinet  
constanter exerceant, quis sic erit alienus a  
fide ut dubitet tales  
contemplatiue uite esse particeps  
quorum exemplo simul ac uerbo plures fiunt  
regnorum celestium coheredes? Isti sunt  
ministri uerbi, adjutores Dei, oraculum  
Spiritus Sancti; per tales Deus placatur  
in populo et populus instruitur Deo.

Prosper libro I. de uita contemplatiua.

Quocirca, si sacerdotes sancti (non quales illi  
sunt quos judicandos atque damnandos  
communio divina pronuntiat, sed quales  
apostolica doctrina commendat), multos ad  
Deum sancte vivendo et praedicando  
convertant; si nihil ex imperio, sed omnia  
humiliter agant, ac se communes eis quibus  
sunt praepositi, studio sanctae dilectionis  
exhibeant, si infirmitates carnaliter viventium  
fratrum modo verborum salubrium  
medicaminibus curent, modo quas incurabiles  
judicant, patientiae virtute sustineant; si  
moribus ac praedicationibus suis non suam,  
sed Christi gloriam quaerant; nec verba ac  
facta sua in pretium favoris conciliandi  
miserabiliter perdant, sed quidquid sibi  
sacerdotaliter viventibus atque docentibus  
honoris impenditur, Deo semper ascribant; si  
non inflentur officiosis occurrentium  
salutationibus, sed graventur; nec honorari se,  
sed onerari faventium sibi laudibus credant:  
si consolentur afflitos, pascant egenos,  
vestiant nudos, redimant captiuos,  
suscipiant peregrinos; si  
errantibus viam salutis ostendant,  
desperatis spem veniae consequendae  
promittant;  
currentes impellant, remorantes accendant,  
et quidquid ad officium suum pertinet,  
constanter exerceant: quis sic erit alienus a  
fide, ut dubitet tales  
contemplatiue virtutis esse partipes,  
quorum exemplo simul ac verbo plures fiunt  
regnorum coelestium cohaeredes? Isti sunt  
ministri uerbi, adjutores Dei, oraculum  
Spiritus sancti. Per tales Deus placatur  
populo, populus instruitur Deo.

Iulianus Pomerius, *De uita contemplatiua*, 1,  
25, 1-2 (PL 59, col.439C-440B).